Uchański Jak

30 c

DE IVBILEO.

LITERÆ PROMVLGATIONIS IVBILEI REVERENDISSIMI GNESNENSIS ARCHIEPISCOPI: QVAE CONtinent vim & rationem Indulgentiarum.

ITEM LITERAE DE EODEM SVMMI PONTIFICIS.

ITEM BVLLA COENAE DOMINI, Ecclesiasticis omnibus planè necessaria.

OMNIA IVSSV ET AVTHORITATE REuerendissimi Domini Jacobi Vchanski Gnesnensis Archiepiscopi collecta & edita.

VILNAE, EX OFFICINA ILLVSTR. DOmini D. Nicolai CHristophori Radziuil. Ducis Olicen. & Nesuis. &c. per Danielē Lancicium, Anno Domini. 1576.


IESVS SOLE SERENIOR ET BALSAMO SVAVIOR
IHS

IACOBVS VCHANSKI DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPVS

Gnesnensis, Legatus Natus, & Regni Poloniæ Primas ac primus Princeps, vniuersis Christi fidelibus ipsum Poloniæ Regnum, eiq; adiũcta Dominia incolentibus: Salutem in Domino sempiternam.

DOMINVS AC REDEMPTOR noster Iesus Christus, ad condonandum quidẽ peccata, solam à nobis exigere potuisset intimam animi pœnitentiam, qua ad ipsum nos ex animo conuertimur, & commissa à nobis scelera detestamur, & odio habemus, simulq; certò statuimus, & malam vitæ consuetudinem corruptosq; mores emendare, non sine spe veniæ ab eius misericordia consequendæ: quia tamen nobis de remissione peccatorum dubitare liceret (vehementer enim pendêre animo de intima pœnitentia opus esset, cùm de suo cuiq; iudicio in ijs, quæ agit, meritò timendum sit) vt huic nostræ solicitudini subueniret, pœnitentiæ quoque Sacramentum instituit, quò per externam sacerdotis absolutionem, peccata nobis esse remissa confideremus, conscientiæq; nostræ ob fidem, quæ Sacramentorum virtuti meritò habenda est, pacatiores redderentur: Quorum (inquit) remiseritis peccata, remit- Ioan: 20.
tuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Ex remissis autem culpis, pœnæ temporales occulto Dei iudicio, vel in hoc sæculo, vel in futuro luendæ, sæpius remanere solent.

Quod licet animaduertere in primis parentibus propter, di-
Gen 3. uini præcepti transgressionem, in Moyse, ob incredulitatem,
Nume. 20. in populo Iudaico, propter vituli adorationem, in Dauide,
Exod. 32. ob adulterij ac homicidij, facinus. Vt verò tēporalibus hu-
Reg. 2. ca. 12. iusmodi pœnis satisfaciamus, adiumentum nobis affertur ab immenso illo meritorum passionis Christi thesauro, cui etiā passiones accedūt, quas idem Dominus in sanctis omnibus, mystici corporis sui membris, ab ipso mundi initio in finem vsque quodammodo perferre non desinit. Quo nomine cum
Act. 9. Paulo, quòd ecclesiam affligeret, conquerebatur, quòd se persequeretur: Saule (inquiens) Saule, quid me persequeris? quin & Paulus ipse, ex persecutore Apostolus iam effectus, asserere non dubitauit, se adimplere ea, quæ desunt pas-
Ad Colos. 1. sionum Christi in carne sua pro corpore eius, quod est Ecclesia. Quapropter idem misericors Dominus, volens nostræ pleniùs succurrere imbecillitati, Beato Petro Apostolorum Principi, eiusque deinceps successoribus Romanis Pontificibus, potestatem dimittendi peccata plenissimam reliquit, atque eodem immenso thesauro idcircò ditauit Ecclesiam spōsam suam, eumque ipsis beato Petro & successoribus dispensandum commisit: vt eo cæteri fideles pro temporalibus illis pœnis, ex remissa culpa (vt dictum est) crebrò remanentibus, ad satisfaciendum adiuti, ad percipiendos cœlestis gratiæ fructus expeditiores redderentur.

Hanc verò potestatis plenitudinem Christus ante passionem suam Petro fuerat pollicitus, cùm dixit: Tu es Petrus,
Matth. 16. & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam: & tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Vocem autem petram, beatus mar-
Cyprianus tyr Cyprianus Petrum ipsum intelligit. In Epistola enim III.

libro primo: Petrus (inquit) super quem ædificata ab eodem Domino erat Ecclesia. Et in sermone de bono patientiæ: Petrus (ait) super quem Ecclesia, Domini dignatione, fundata est. Soli item Petro totius Ecclesiæ principatum Dominus designauit, quum tributum vel censum pro se & Petro, tantùm persolui mandauit. Staterem enim dari iussit, qui quatuor drachmas valebat: vnde media eius pars didrachma ē, quod tantùm Patres familias viritim pensitabant. Quare discipuli statim post inuentum staterem, & tributa reddita, Dominum interrogarunt: Quis (putas) maior est in regno cœlorum? Viderant enim (vt ait Hieronymus) pro Petro & Domino tributum redditum, atq; ex æqualitate precij arbitrati sunt Petrum omnibus Apostolis esse prælatum, qui in redditione tributi, Domino fuerat comparatus. Christus præterea Apostolis contendentibus, quis eorum videretur esse maior, dixit Petro: Simon, ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando cōuersus, confirma fratres tuos. Quem locum explicans Theophilactus: Planus (inquit) huius intellectus is est, quia te habeo vt Principem discipulorum, postquam me negato fleueris, & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros: hoc enim te decet, qui post me petra es, & fundamentum Ecclesiæ.

Matth: 17.

Matth: 18. Hieronymus lib. 3. cōm. in matth. ca. 18.

Luc. 22.

Theophilactus in cōm. in Luc. cap. 22.

Communis quidem potestas, quam omnibus Apostolis Dominus promiserat (quæcunq;, ait, alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo) ipsis æquè collata est, quum dictum est: Accipite Spiritum sanctum, quorū remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. At Petro quicquid Dominus modo quodam peculiari pollicitus antea fuerat, post resurrectionem suam re vera præstitit, plenissimè super omnibus authoritatem concludens ijs ver-

Matth. 18.

Iohan. 20.

bis

Ioan. 21. bis: Simon Iohannis diligis me, plus quàm hi? Ait ei: Etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei ter: Pasce agnos meos, Pasce oues meas. Petro (inquit Cyprianus) oues suas Do-

Cypria. de habitu Virg: De Eccle. vnitate: minus pascendas tuendasq; commendat, super quem fundauit & posuit Ecclesiam suam. Alibi quoq;: Et eidem post resurrectionem suam dicit, Pasce oues meas: super illum vnū ædificat ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oues suas. Hactenus Cyprianus. Cùm itaq; reliqui Apostoli ad ouile Domini pertinerent, vt cæteræ oues, à Petro vtiq; erant pascendi.

Iam verò ex ijs constat, eam Ecclesiæ gubernandæ rationem à Christo fuisse institutam, quam homines sapientissimi optimam semper existimarunt: Monarchiam scilicet, in qua

Ad Ephe. 4 vnus optimatum, consilio omnibus præest. Atq; huiusmodi Hierarchica Ecclesiæ potestas, quum ad finem vsque sæculi duratura sit, vt ab initio Principem Petrum à Christo obtinuit, ita eius deinceps successores habeat, necesse est: quos esse Romanos Pontifices ostendit tùm vetus ipsius ecclesiæ consuetudo, tùm vnanimis Sanctorum omnium patrum consensus. è quorum numero, ne in longū protrahatur oratio, paucos eosdemq; vetustissimos atq; probatissimos sat erit in me-

Iræne. lib: 3 cap. 3: diū adducere: inter quos Iræneus, proximus Apostolorum temporibus, aduersus hæreses ita differit. Quoniam valdè longum est, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ & antiquissimæ & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionem & annūciatā hominibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientium vsq; ad nos, iudicantes confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad

hanc

hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam: hoc est eos, qui sunt vndiq; fideles, in qua semper ab ijs, qui sunt vndique, conseruata est, ea, quæ est ab Apostolis, traditio. Fundantes igitur, & instruentes Beati Apostoli Ecclesiam, Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. Et paulò post: Succedit autem ei Anacletus: post eum tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens, qui & vidit ipsos Apostolos, & contulit cum eis, cùm adhuc insonantem prædicationem Apostolorum & traditionem ante oculos haberet. Et paulò inferius: Huic autem Clementi succedit Euaristus, & Euaristo Alexander, & deinceps Sextus ab Apostolis constitutus est Sixtus: & ab hoc Thelesphorus, qui etiam gloriosissimè martyrium fecit, ac deinceps Higinus, post Pius, post quem Anicetus. Cùm autem successisset Aniceto Soter, nunc duodecimo loco Episcopatū ab Apostolis habet Eleutherius. Quibus Irenæi verbis, Romani Pontifices, Petri successores perspicuè demonstrantur. Idem à Cypriano in hunc modum affirmatur: Post ista adhuc insuper pseudo episcopo sibi ab hæreticis constituto nauigare audent, & ad Petri cathedram atq; ecclesiam principalem (vnde vnitas sacerdotalis exorta est) à Schismaticis & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est: ad quos perfidia habere non possit accessum. Et alibi: Factus est autem Cornelius Episcopus de Dei & Christi eius iudicio, de clericorū penè omnium testimonio, de plebis, quæ tunc affuit, suffragio, & de sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio: cùm nemo ante te factus esset: cùm Fabiani locus, id est cùm locus Petri, & gradus cathedræ sacerdotalis, vacaret. Ambrosius item: Scribo (inquit) tibi, vt scias quomodo Ecclesiam ordines, quæ est Domus Dei, vt cùm totus mundus Dei sit, Ecclesia tamen Domus

Eodem ca. 3

Eod. cap. 3

Cypr. epi. 3. lib. 1.

Epi. 2 lib. 4

Ambr. com. in cap. 3 epis ad Timo.

Domus eius dicatur, cuius hodie Rector est Damasus. Et Augustinus in lib. II. contra litteras Petiliani Donatistæ: Dicis quidem (ait) ista, nihil probas: sed etsi de aliquibus probares, de his cæteris non præscriberes. Verumtamen si omnes per totum orbem tales essent, quales vanissimè criminaris, cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet?

Augustinus.

Ex huiusmodi igitur amplissima potestate perspicuum etiam esse potest, immensi huius thesauri, in ecclesia reconditi, dispensationem, præcipuè pertinere ad Romanum Pontificem: qui, vt Christi Vicarius, toti Ecclesiæ præest. Nam quæ alicui communitati, vel Reipub. communia sunt, ille dispensandi facultatem habet, qui Reipub. communitatisúe caput & Princeps est. Atqui cùm ex hoc thesauro, summi Pontificis voluntate, aliquid depromitur, id nobis adiumento est, vt pœnis temporalibus faciamus satis. quod perinde est, ac si iussu Principis pecunia, ex publico ærario deprompta, homini ære alieno astricto suppeditaretur: qua ille iustum creditori suo debitum persolueret. Arbitratu autem Pontificis Maximi (quem pro Dei immortalis gloria, & Christiani populi necessitate, dispensationis ratione habere oportet) quicquid ex Ecclesiæ thesauro donatur (Nam & ego, inquit Apostolus, quod donaui, si quid donaui, ꝓpter vos in persona Christi) interdum vniuersæ pœnæ, interdum parti ipsius pœnæ luendæ est satis: hinc plenaria, vel aliquot dierum, vel mensium, vel annorũ Indulgentia ortum habet. Porrò Indulgentiæ nomen nonnulli etiam ex præcipuis & veteribus patribus pro remissione interdum vsurparunt: quemadmodum Cyprianus in epistola ad Iubaianum ita scribit: Potens est Dominus misericordia sua indulgentiam dare. Et alio in loco: Potest ille indulgentiam dare, sententiam suam potest ille deflectere. Et Augustinus: Ne desperatione (inquit) homines peius

[margin, handwritten: ærarium [illegible] aperuit pro solvendis deb[itis]]

2. Corin. II.

Indulgentia

Cypri. de lapsis.

Augustinus in Psalm. 10.

Iohan. 20.

peiùs viuerent, promisit Deus indulgentiæ portum. Plenariam autem indulgentiam (quòd in ea donum contineatur cumulatissimum, & iubilo plenum, quo scilicet omnibus pœnis facere satis possimus) recentiores quidam Ecclesiastici scriptores Iubilæum vocarunt: quamquam Iubilæi vox verius deducta esse videatur ab Hebræa Iobel, quæ arietem & cornu arietinum significat. Vnde annus quinquagesimus apud Hebræos à buccina, & cornu illo, quo ãnunciabatur, Iubilæus dictus est.

Indulgentia plenaria.

Iubilæus Heb. Leuit. 25

Huius etiam exemplo apud nos Iubilæi annus celebratur, qui cùm quinto & vigesimo quoque anno, nunc recurrere soleat, iam incidit in annum 1575. quo, vt olim Hebræorum prisco Iubilæo, quisq; ad corporalem suam, quam quouis modo amiserat, siue possessionem, siue cognationem & libertatem redibat, ità inter Christianos, quotquot Romam accesserunt, ac verè pœnitentes & confessi, quatuor ibi principes Ecclesias deuotè aliquot dies visitarunt, plenariam indulgentiam sunt cõsequuti: id est, ad eandem illam spiritalem Baptismi libertatem & innocentiam, omnis labis & pœnæ reatus expertem, quam ob peccata iam amiserant, cũctis temporalibus pœnis (quæ ex remissis culpis remanserant) per plenariam indulgentiã persolutis, redire cõmodiùs potuerũt.

Iubilæi annus apud christianos.

Hunc spiritalem ac preciosissimum anni Sacrosancti Iubilæi thesaurum (cuius participes tãtùm fuerunt, qui quatuor principes Romæ basilicas, eodem Iubilæi anno, aliquot dies piè, ac religiosè inuiserunt) sanctissimus in Christo Pater & D. N. Dominus Gregorius diuina prouidentia PP. XIII. humillimis nostris precibus motus, pro sua paterna erga hoc inclytum Poloniæ regnum charitate, vniuersis ipsius regni incolis, concedere dignatus est. Nos itaq; salutare huiusmodi donum cunctis impertitum iri cupientes, ipsius sanctissimi D. N. Breue concessionis, hîc ad verbum cura-

 uimus

uimus describendum: vt omnes modum intelligentes, quo ad hanc cœlestem gratiam consequendam apti (Deo iuuante) reddi possint, suum quisq; diuinæ motionis principium agnoscentes, obliquis errorum ac vitiorum tramitibus derelictis, ad rectam veritatis & salutis viam reuertantur. Vt verò fideles populi, maiore studio ac deuotione ad hunc Indulgētiæ portum confugiant, & in posterum à nefarijs quibusdam sceleribus præcipuè abstineant, dedimus etiam operam vt Bulla in die cœnæ Domini Romæ quotannis legi solita, ad ipsum Iubilæi Breue vnà addatur: quo ōnes sciāt prauorum quorundam facinorum (quæ in ea numerantur) absolutionem, soli summo Pontifici reseruatam, nunc per huiusmodi Indulgentiæ cōcessionem, cūctis Ecclesiarum Parochis, pœnitentiarijs, ac reliquis Pœnitentiæ Sacramenti impertiendi facultatem habentibus, permissam esse.

Nos igitur Iacobus Archiepiscopus &c. pro nostro Primatis munere, cūctos quidem Reuerendiss. ac Reuerendos Dominos fratres nostros totius Poloniæ regni, ac Dominiorum, quæ ipsi regno adiuncta sunt, Archiepiscopos & Episcopos in Domino cohortamur: Venerabiles verò Abbates, Decanos, Parochos, cæterosq; verbi Dei concionatores monemus, & in virtute sanctæ obedientiæ eis mandamus, vt quisq; pro suo munere ipsū sacrosancti Iubilæi Breue, simulq; Bullam cœnæ Domini omnibus exponenda curent, vel ipsimet exponant, & denuncient crebris suis ad populos concionibus, in festorum dierum solemnibus. Tempus autem ad cœlestem gratiam consequendam, iuxtà Breuis Apostolici præscriptum, definimus sex cuiq; menses, à prima harum literarum publicationis, in singulis quibusq; Ecclesijs factæ, die computandos.

Tenor

TENOR BREVIS SANCTISSIMI D. N. IN HVNC MODVM ſequitur.

GREGORIVS PAPA XIII.

VNIVERSIS CHRISTIFIDELIbus, præſentes literas inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem Saluatoris noſtri, qui ſuo precioſiſſimo ſanguine humanum genus de manibus Sathanæ eripere dignatus eſt, vices (licèt immeriti) gerentes in terris, ac ligandi & ſoluendi poteſtatem ab eo habentes, cogitatus noſtros ad animarum ſalutem iugiter intendimus: & vota illa, quæ ſalutem ipſam affectare dignoſcuntur, fauoribus proſequimur opportunis. Hinc eſt, quòd attendentes pleraſq; vtriuſq; ſexus perſonas regni Poloniæ, tùm ob locorum diſtantiam, tùm propter alias rationabiles cauſas, ad hāc almam Vrbem noſtram, pro conſequenda Indulgentia Iubilæi præſentis anni, non veniſſe, ac, ne propterea perſonæ ipſæ huiuſmodi ſpiritualibus donis priuatæ remaneant, pro noſtro paſtorali officio prouidere volentes, precibus etiam pro parte Venerabilis fratris noſtri Archiepiſcopi Gneſnenſis, dicti regni Primatis, nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, de omnipotentis Dei miſericordia ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius authoritate confiſi, omnibus vtriuſq; ſexus Chriſti fidelibus, verè pœnitentibus & confeſſis, in quibuslibet dicti regni partibus cōſiſtentibus, qui maiorem & tres alias Eccleſias ciuitatis, aut oppidi, ſeu loci, ſub cuius diſtrictu reſidēt, per loci ordinariū, ſub quo Eccleſiæ ipſæ fuerint, deputandas: vel, ſi in locis ipſis tot Eccleſiæ, nō ad-

sint, quatuor duarum, vel vnius ibi existentium Ecclesiarum altaria, ad hoc etiam per eundem ordinarium deputãda, per quindecim dies continuos vel interpolatos deuotè visitauerint, & ibi quinquies orationem dominicam & salutationem Angelicam recitauerint, ac pro exaltatione sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Christianorum õnium vnione & pace, ac hæresum extirpatione piè ad Deum orauerint, plenariam dicti anni Iubilæi omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem, ac si quatuor Ecclesias dictæ Vrbis, & extra eã, pro dictis Indulgentijs anni Iubilæi huiusmodi cõsequendis, ad id deputatas personaliter visitassent, elargimur. Et vt ad id aptiores reddãtur, eis, quòd cõfessores idoneos sæculares, vel cuiusuis ordinis regulares, ab ipso ordinario approbatos, sibi eligere possint, qui eorũ cõfessionibus diligenter auditis, eos ab omnibus eorum criminibus & peccatis, etiam hæresim sapientibus in foro conscientiæ duntaxat, & etiam sedi Apostolicæ reseruatis, & in Bulla die cœnæ Domini, legi solita contentis, absoluere, & pro cõmissis salutarem pænitentiam iniũgere valeant, concedimus. Præsentibus, quarum transumptis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo dicti Archiepiscopi Gnesnensis munitis, indubiam fidem abhiberi volumus, ad sex menses, â die publicationis illarum cõputandos, duntaxat duraturis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub ãnulo piscatoris, die x. Decembris, MDLXXV. Pontificatus nostri Anno quarto.

CAE: GLORIERIVS.

CAEterum Pontifex Max. (vt superiùs dictum est) enormium quorundam scelerum condonationem sibi soli vindicare consueuit: vt partim pudore & castigationibus Ecclesiasticis, partim lõgæ peregrinationis labore ab huiusmodi crimi-

criminibus, homines abducat atq; deterreat. Hæc autem, vt ferè omnia cõtinentur in ipsa Bulla cœnæ Domini, ita ad pauca quædam capita redigi possunt.

Siquidem, ad honorem Diuini nominis & animarum salutem, Summus Ecclesiæ Pastor id potissimum contendit, vt Dei verbum & scriptum & traditum, purum putum conseruet, & tueatur, quod cùm præstare minimè queat, nisi cùm sua, tùm reliquorum Pastorum, qui in partẽ solicitudinis vocati sunt, defendat authoritatem, cùm Reip. Christianæ securitati prospiciat: factum est, vt in Bulla diris omnibus quatuor deuoueantur hominum genera.

Vnum est Hæreticorum, qui verbum Dei modis omnibus adulterare inprimis conantur: ijs etiam annumerantur, qui illis fauent, aut illorum libros scienter legunt, retinent, imprimunt, seu defendunt, necnon & Schismatici. *continet 1um Sxr[?] Sen §*

Alterum eos comprehendit, qui ipsius Pontificis authoritatem lædunt: cuiusmodi sunt, qui ab eius sententia ad futurum concilium appellant, Apostolicas literas corrumpunt, cibaria, & commeatus ad Vrbem impediunt, & in ea cõmorantes turbant, Romanæ curiæ officiales, hominesq; ad ipsã curiam accedentes, ab eaq; recedẽtes vlla molestia afficiunt: in Cardinales, Episcopos, Legatos, vel Nuncios manus violentas injiciunt, causasq; in curia pendentes, ad sæculare tribunal pertrahunt. &c. *continet 2um Sxr[?] Sen § [?].5. 7.8.9.10.11.12*

Tertium est eorum, qui Catholicæ Ecclesiæ Præsulũ iurisdictionem, quouis modo imminuunt: in quorum numero censentur ij, qui ad illos opprimendos leges figunt atq; refigunt, vectigalia ab hominibus Ecclesiasticis extorquent, fructus redditusq; eorum violenter vsurpant, & eos ad tribunal sæculare compellunt. &c. *cont. § 13. 14. 15. 16.*

Quartum ad eos pertinet, qui arma vel quamuis pro construendis armis materiã ad Machometanos, reliquosq; Chri- *cont. § 3. 4. 6.*

ſtiani nominis hoſtes deferunt, eiſdemq́ Chriſtianorum con ſilia produnt: quiq́ noua vectigalia, ſine legitima poteſtate, imponunt, & naufragium perpeſsis ſua bona & merces minimè reſtituunt, atq́ piraticam exercent. &c.

Quadruplex igitur cùm ſit eiuſmodi conditio hominum, qui cum aſſeclis & adiutoribus ſuis anathematis gladio feriũtur: quatuor quoq́ capita (ut ſupra fuit expoſitum) ſummatim Bulla complectitur. In ea deinde pænis grauiſsimis cautũ eſt, ne vlli confeſſarij vllos, cuiuſcunq́ ſortis homines, abſoluere audeãt, Indultis ad id & confesſionalibus ex toto abolitis. Declarantur item ij, qui Bullæ huius tranſumptum penes ſe habere, & ſemel in anno publicare tenentur: Poſtremò quibus notis fides habenda ſit traſumptis, explicatur.

pœna

TENOR BVLLAE COENAE DOMINI eſt huiuſmodi.

LITERÆ PROCESSVS S. D. N. GREGORII PP. XIII. LECTAE DIE COENAE DOMINI, ANNI M. D. LXXV.

IN NOMINE SANCTAE, ET INDIVIduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

NOVERINT Vniuersi hoc præsens publicũ transumptum inspecturi, quòd nos Alexander Riarius Patriarcha Alexandrinus, Curiæ causarum Cameræ Aposto. Auditor, Romanæq; Curiæ Iudex ordinarius, Scientiarumq; & Censurarum latarum, ac quarumcũq; literarum Apostolicarum vniuersalis executor ab eodem S. N. D. Papa deputatus, vidimus, & diligenter inspeximus literas Apostolicas S. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. hodie, qui fuit dies Iouis Sancti, et Cœnæ Domini, et solemniter more solito lectas & publicatas, eiusq; vera Bulla plumbea cũ cordula rubei croceiq; colorũ more Ro. Cu. pendente Bullatas, & omni suspicione carentes subsequentis tenoris.

Initium transumpti literarum.

Procemium literarum.

GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

CONSVEVERVNT Romani Pontifices prædecessores nostri, ad retinendam puritatem religionis christianæ & ipsius vnitatem, quæ in coniunctione membrorum ad vnum caput, Christum videlicet, eiusque Vicariũ, principaliter consistit, & sanctam fidelium societatem ab offensione seruandam, arma iustitiæ per ministerium Apostolatus in præsenti celebritate exercere.

1 In Hæreticos, fautores eorum, ac recedentes ab Apost. sedis obedientia.

1 Nos igitur vetustum, & solemnem hunc morem sequentes, excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei omnipotentis, Patris & Filij, & Spiritus sancti, auctoritate quoque beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, quoscunque Hussitas, Vicleuitas, Lutheranos, Zuinglianos, Caluinistas, Hugonotos, Anabaptistas, Antitrinitarios, & õnes & singulos alios Hæreticos, quocunque nomine nuncupentur, & cuiuscunque sectæ existant, & eorum credentes, ipsorumq; receptatores, & fautores, & generaliter quoslibet defensores, ac eorundem libros sine auctoritate nostra & sedis Apostolicæ, scientes quomodolibet legentes, aut tenentes, imprimentes, seu quomodolibet defẽdẽtes ex quauis causa, publicè vel occultè, quouis ingenio, vel colore; necnon Schismaticos, & eos, qui se à nostra, & Rom. Pont. pro tempore existentis obedientia, pertinaciter subtrahere, seu quomodolibet recedere præsumunt.

Item

2 Item excommunicamus, & anathematizamus õnes, et singulos cuiuscunque status, gradus seu conditionis fuerint. et interdicimus vniuersitates, Collegia, & Capitula, quocunque nomine nuncupentur, ab ordinationibus, sententijs, seu mãdatis nostris, ac Rõ. Pont. pro tempore existentium, ad vniuersale futurum Concilium appellãtes, necnon eos quorum auxilio consilio, vel fauore appellatum fuerit. 2 In appellantes à Papa ad futurum Concilium.

3 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Latrunculos maritimos, & illos præcipuè, qui mare nostrum â Monte argentario vsque ad Terracinam discurrere, & nauigantes in illo deprædari, mutilare, interficere, ac rebus & bonis suis spoliare præsumunt: ac omnes receptatores eorundem, & eis auxilium scienter dantes, vel fauorem: Ac omnes & singulos, qui Christianorum quorumcunque, nauibus tempestate in transuersũ (vt dici solet) iactatis aut etiam submersis, & naufragium passis, siue in ipsis nauibus, siue ex eis dilapsa, & in mari, vel littore inuenta, cuiuscũque generis bona, tam in nostris Tyrrheni, & Adriatici, quã in quibuscunque alijs cuiuscunque maris regionibus, & littoribus rapuerint, aut scienter ipsi sibi acceperint, aut ab alijs rapta, seu accepta scienter receperint: ita vt nec etiam ob quodcunque priuilegium, consuetudinem, aut longissimi etiam immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcunque prætextum excusari possint. 3 In Piratas, et fautores eorũ, et in rapientes bona naufragantium.

4 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in terris suis noua pedagia, seu gabellas ad id potestatem non habentes imponunt, vel augent, aut imponi vel augeri prohibita, exigunt.

5 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios literarum Apostolicarum, & in for

4 In imponentes vel augẽtes noua pedagia, vel ea existentes.

5 In falsificatores literarum, & supplicationum Apostolicarum.

ma Breuis, ac supplicationum gratiam, vel iustitiam concernentium, per Rom. Pont. vel S. R. E. Vicecancellarium, seu gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Rom. Pont. signatarum, aut sub nomine eiusdem Rom. Pont. seu Vicecancellarij, aut gerentium vices prædictorum signantes supplicationes easdem: Extendentes constitutionem fel. re. Innocentij Papæ iij. quæ incipit: Ad falsariorum, cum omnibus pœnis in ea contentis, ad falsificantes, seu mutantes supplicationes per nos, seu de mandato nostro signatas & datas, sine nostra, aut Datarij nostri licentia.

6 In defferẽtes prohibita infidelibus, eos que certiores facientes de rebus cõcernen: statum reip: christianæ.

6 Item excommunicamus, & anathematizamus õnes illos qui Equos, Arma, Ferrum, Filũ ferri, Stannũ, Chalybem, omniaq; alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes tam ex ipso canape, quàm ex quacunq; alia materia, & ipsam materiam aliaq; huiusmodi, quibus Christianos impugnant, deferunt Saracenis, Turcis, & alijs Christi nominis inimicis: Necnõ illos, qui per se vel alium seu alios de rebus Christianæ Reip: statum concernentibus, in Christianorum pernitiem, & dãnum ipsos Turcas, & Christianæ religionis inimicos certiores faciũt, illisq; auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstant: non obstantibus quibuscunq; priuilegijs, et concessionibus, quibuscunque Principibus & Dominijs siue priuatis personis, per nos & sedem prædictam hactenus concessis, quæ illis nolumus in aliquo suffragari.

7 In impediẽtes eos, qui victualia ad vrbẽ deferunt.

7 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, siue inuadentes eos, qui victualia, seu alia ad vsum Romanæ Curiæ necessaria adducunt: ac etiam eos, qui ne ad Romanam Curiam adducantur, vel deferantur, impediunt, seu perturbant, vel qui

talia

talia fieri faciunt, vel defendunt, cuiuscunque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis & status, etiamsi Pontificali, vel Regali, aut alia quauis ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

8 Item excommunicamus, & anathematizamus mutilantes, vulnerantes, interficientes, capientes, detinentes seu deprædantes Romipetas seu peregrinos ad Vrbem causa deuotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel recedentes ab ipsa, & illis dantes auxilium, consilium, vel fauorem.

8 In eos, qui peregrinos ad vrbem venientes offendunt.

9 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad sedem Apostolicam venientes & recedentes ab eadem: necnon omnes illos, qui non habentes in eadem Curia iurisdictionem ordinariam vel delegatam, temeritate propria capiunt, spoliant, detinent, morantes in eadem: aut ex proposito deliberato verberare, mutilare, vel interficere præsumunt, vel qui talia fieri mandant.

9 In eos qui venientes Romam vel ibi commorantes, offendunt.

10 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, verberantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales ac Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eosdem eijcientes à suis diœcesibus, territorijs, terris, seu dominijs, eaque mandantes, vel rata habentes, seu præstantes eis auxilium, consilium, vel fauorem.

10 In eos qui manus iniiciunt in S. R: E: Card. vel prælatos seu nuncios.

11 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se vel alium seu alios, quascunque personas ecclesiasticas, vel seculares ad dictam Curiam super eorum causis & negotijs recurrentes, illasque in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumque gestores, Aduocatos, Procuratores ipsorum, seu

11 In eos qui causarum in curia pendentium cursum, et literarum Apostolicarum exequutionem impediunt, et personas easdem causas prosequentes, offendunt:

ſeu etiam Auditores, vel Iudices, ſuper dictis cauſis, vel negotijs deputatos, occaſione cauſarum, vel negotiorum huiuſmodi verberant, mutilant, vel occidunt, ſeu bonis ſpoliant: vel qui per ſe, vel alium ſeu alios directè vel indirectè prædicta exequi vel procurare, aut in eiſdem conſilium, auxilium, vel fauorem præſtare non verentur, cuiuſcunque præeminentiæ & dignitatis fuerint: Ac illos qui literas Apoſtolicas, & in forma Breuis tam gratiam, quàm iuſtitiam concernentes, ac etiam citationes, inhibitiones, ſequeſtra, monitoria, proceſſus exequutoriales, aliaque decreta quæcunque à nobis, & ſede Apoſtolica, ſeu Legatis, Nuncijs, Præſidentibus, Cameræ Apoſtolicæ Auditoribus, & Commiſſarijs, alijsque iudicibus, & delegatis Apoſtolicis emanata, & quæ pro tempore emanauerint, ſimpliciter, vel ſine eorum beneplacito conſenſu, vel examine exequutioni demãdari, aut ne Tabelliones, & Notarii ſuper huiuſmodi literarum, & proceſſuũ exequutione inſtrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cuius intereſt, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, aut impediri vel prohiberi procurant: ac Notarios, Exequutores, & Subexequutores literarũ, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, carcerãt, & detinent, vel capi, carcerari, & detineri faciunt: Quin etiam quibuſcũque perſonis in genere vel in ſpecie, ne pro quibuſuis eorum negotijs proſequendis, ſeu gratijs vel literis impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recurſum habeant, ſeu gratias ipſas vel literas à dicta ſede impetrent, ſeu impetratis vtantur, directè vel indirectè prohibere, ſtatuere, ſeu mandare, vel eas apud ſe, aut Notarium, ſeu Tabellionem, vel aliàs quomodolibet retinere præſumunt.

12 In officiales & prælatos, q ſpiritu ales cauſas à iudicib9 Apoſtolicis auocant et exequutionem literarum & mãdatorũ Apoſtolicorũ impediunt.

12 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes

omñes & ſingulos Cañcellarios, Vicecañcellarios, & Conſiliarios ordinarios, & extraordinarios quorum- que Regum, & principum, ac præſidentes Cancellari- arum, conſiliorum, & parlamentorum: necnon pro- curatores generales eorundem, vel aliorum principũ ſæcularium, etiamſi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacunque præfulgeant dignitate, quocunque nomi ne nuncupentur: alioſq; Iudices tam ordinarios, quàm delegatos: necnon Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abba tes, Commendatarios, Vicarios, & officiales, qui per ſe, vel alium, ſeu alios quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum Apoſtolicarum prætextu beneficiales, & decimarum, ac aliàs ſpiritua les, & ſpiritualibus annexas cauſas ab Auditoribus, & Commiſſarijs noſtris, alijſq; iudicibus eccleſiaſticis aduocant, illarumúe curſum, & audientiam, ac perſo- nas, capitula, conuentus, collegia, cauſas ipſas proſeq volentes, auctoritate laicali impediunt, ac ſe de illarũ cognitione tanquam iudices interponunt, ac partes a- ctrices, quæ illas cõmitti fecerunt, & faciunt, ad reuo- candum, & reuocari faciendum citationes, vel inhibi- tiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum vel conſentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à cenſuris, & pœnis in illis cõtentis abſol- ui ſtatuunt, & compellunt, vel aliàs exequutionẽ litera rũ Apoſtolicarum, vel exequutorialium proceſſuum ac decretorum prædictorum, etiam ſub prætextu vio lentiæ prohibendæ, vel quòd ad nos informandos, vt ipſi dicunt, ſupplicauerint, aut ſupplicari fecerint, niſi i- pſi ſupplicationes, huiuſmodi coram nobis, & ſede A- poſtolica legitimè proſequantur, quomodolibet im- pediunt, vel ſuum ad id fauorem, conſilium, aut aſſen- ſum præſtant.

13 In eos qui personas Ecclesiasticas ad eorum tribunal trahunt, & qui statuta contra libertatem ecclesiæ faciũt.

13 Quive ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam quorumcunq; personas Ecclesiasticas, Capitula, Conuentus, & Collegia ecclesiarum quarumcunque coram se ad eorum tribunal, audientiam, Cancellariã, consilium, vel parlamentum, præter iuris canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè vel indirectè, quouis quæsito colore: Necnon q statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas seu quæuis alia decreta in genere, vel in specie, ex quauis causa, & quouis quæsito colore, etiam sub prætextu literarum Apostolicarum vsu non receptarum, seu reuocatarum, vel cuiusuis consuetudinis, aut priuilegij, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis, & ordinatis vsi fuerint, vnde libertas ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quouis modo restringitur, seu nostris, & dictæ sedis iuribus quomodolibet directè vel indirectè, tacitè vel expressè præiudicatur.

14 In impedientes iudicum ecclesiasticorum iurisdictionem.

14 Necnon qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosq; superiores, vel inferiores Prælatos, & omnes alios qscunque Iudices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet impediunt: quo minus sua iurisdictione ecclesiastica contra quoscunque vtantur, secundum quod Canones & sacræ constitutiones ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini, statuunt.

15 In eos qui iurisdictionem & fructus ecclesiasticos vsurpant, & decimas, aut taleas quascũque personis Ecclesiasticis imponunt, aut exigunt, ac assensum auxilium, vel consilium præstant.

15 Quive iurisdictiones, seu fructus, redditus, & prouentus, ad nos & sedem Apost. & quascunq; ecclesiasticas personas ratione ecclesiarum, monasteriorũ, & aliorum beneficiorum ecclesiasticorum per eos obtentorum, pertinentes vsurpant. vel etiam quauis occasione, vel causa, sine Rom. Pont. expressa licẽtia sequestrant, aut collectas, decimas, taleas, præstantias, & a-

lia o

ſtia onera clericis, prælatis, & alijs perſonis eccleſiaſti-
cis, ac eorum & Eccleſiarum, monaſteriorum, & alio-
rum beneficiorum eccleſiaſticorum bonis, illorumq́
fructibus, redditibus, & prouentibus huiuſmodi abſ-
q; ſimili Rom. Pont. ſpeciali, & expreſſa licentia impo-
nunt, & diuerſis etiam exquiſitis modis exigunt, aut
impoſita etiam à ſponte dantibus, & concedentibus re-
cipiunt: necnon qui ſe, vel alium, ſeu alios directè, vel
indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut
in eiſdem auxilium, conſilium, vel fauorem, aut votū,
ſeu ſuffragium palàm, vel oculte præſtare non veren-
tur, cuiuſcunque ſint præeminentiæ, dignitatis, ordi-
nis, conditionis, aut ſtatus, etiamſi Imperiali, aut Rega
li præfulgeant dignitate, ſeu Principes, Duces, Comi-
tes, Barones, Reſpublicæ, & alij potentatus quicūq;
etiā Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, & terris ꝗquo mo
do præſidentes, aut quauis etiam Pontificali dignitate
inſigniti, innouantes decreta ſuper his, per ſacros cano
nes tam in Lateranē. nouiſſimè celebrato, quàm alijs
concilijs generalibus edita, etiam cum cenſuris, & pæ-
nis in eis contentis.

16 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoſcunque Magiſtratus, Senatores, Præſidētes, Auditores, & alios Iudices quocunque nomine vocentur. ac Cancellarios, Vicecancellarios, Notarios, ſcribas, ac exequutores, & ſubexequutores, & alios ꝗquo modo ſe interponentes in cauſis capitalibus ſeu criminalibus contra perſonas eccleſiaſticas, illas banniendo, capiendo, proceſſando, ſeu ſententias cōtra illas proferendo, vel exequendo, etiam prætextu quorumcunque priuilegiorum à ſede Apoſtolica ex quibuſuis cauſis, ac ſub quibuſcunque tenoribus, & formis in genere & ſpecie conceſſorum quibuſcunq;

16 In laicos ſe intromittētes in cauſis capitalibus ſeu criminalibus contra perſonaſ eccleſiaſticas.

Regi

Regibus, Ducibus, Principibus, Rebuspublicis, Monarchis, Ciuitatibus, & alijs quibuscunq; potētatibus, quocunq; nomine censeantur, quæ nolumus illis in aliquo suffragari: illa omnia ex nunc in irritum reuocando.

17 In eos, qui terras, seu iura Eccle. Rom. occupant, vel inuadunt, & in raptores bonorum palatij Apostolici.

17 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel alium, seu alios, directè uel indirectè, sub quocunq; titulo, vel colore de facto occupant, vel detinent, vel hostiliter destruunt, vel inuadunt, aut occupare, detinere, vel destruere, aut inuadere hostiliter præsumunt in totum vel in partem almam Vrbem, Regnum Siciliæ, Insulas Sardiniæ, & Corsicæ, terras citra Pharum, patrimonium B. Petri in Tuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venaysinum, Sabinēsem, Marchiæ Anconitanæ, Massæ, Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & maritimas prouincias, illarumq; terras, & loca, ac terra specialis commissionis Arnulphorum, Ciuitatesq; nostras Bononiam, Cesenam, Ariminum, Beneuentum, Perusium, Auinionem, Ciuitatem Castelli, Tudertum, & alias ciuitates, terras, & loca, vel iura ad ipsam Rom. Ecclesiam pertinentia, dictæq; ue Ro. Eccl. mediatè, uel immediatè subiecta: quiue supremam iurisdictionem in illis nobis & eidem Rom. Eccl. competentem de facto vsurpare, perturbare, retinere, et vexare varijs modis præsumūt: Necnon adhærentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstantes: Necnon omnes, & singulos supellectilium, librorum, scripturarum, & bonorum Cameræ, & palatij Apostolici ex eodem palatio, infirmitatis Ro. Pont. ac sedis Apostolicæ vacationis tempore, ablatores, raptores, & illorum detentores, ac quoscunq; alios, ad quorum manus bona prædicta quocunque titu-

lo,